



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Punctum I. ad SS. Trinitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

EXAMEN CONSCIENTIÆ

Quinque Puncta complectens.

Punctum I. ad SS. Trinitatem.

Solæ Deo grates.

Omnipotens sempiterne Deus, gratias tibi immortales ago, pro beneficiis omnibus, tam à primo vitæ momento, ad hanc usque horam in me collatis, quam toto aliis deinceps in omni vita mea, totaque æternitate conferendis.

Gratias ago tibi, ô Pater Æterne! ob amorem illum infinitum, quo ab æterno me prosecutus es, tam paternè de me cogitando, & eligendo, statuendo & prædestinando; ac in tempore immeritum prænumeris aliis longè melioribus ex abyssi nihil mei extrahendo, atque ad imaginem & similitudinem tuam creando. præterea mihi donando animam bonam, ingenium docile, memoriam, intellectum & voluntatem, cognitionis & amoris tui capacem: corpus etiam non mancum aut morbidum, non cæcum, non surdum aut mutum; sed integrum & sanum, tot ossibus & nervis compactum, tot potentiis

ac sensibus instructum ad seruiendum tibi. Tantam quoque rerum creaturarum varietatem mihi offerendo ad sustentationem & recreationem meam, in cœlo, aëre, terrâ, & mari. Angelum denique tutelæ meæ deputando, per quem ab innumeris occultis & apertis, corporis & animæ periculis me liberasti.

Gratias quoque ago tibi, Salvator mi Jesu Christe, ob amorem illum infinitum, quo me persecutus es, eò usque, ut pro me redimendo, humanâ carne vestiri, in stabulo nasci, tam mira agere, tam dira pati, ac mortem crucis acerbissimam subire volueris: peccatis inquinatum per Pœnitentiæ Sacramentum toties ablueris: estuientem Corpore & Sanguine tuo pretioso toties refeceris; ignorantiam tot morum documenta, & virtutum exempla in admirabili vita tua & fidelium servorum tuorum reliqueris.

Gratias pariter ago tibi, ô Sancte Spiritus Paraclete! ob amorem illum infinitum, quo me persecutus es; quòd scilicet me præ tot aliis, in peccato originali extinctis, de potestate diaboli eripueris; ad

gratiam

gratiam Baptismi & Confirmationis me
perduxeris; ex Filio iræ, regni cœlestis hæ-
redem institueris; tot inspirationibus præ-
veneris; Fide, Spe, Charitate, ceterisque
donis tuis me condecoraris; ab hæresi
præservatum Ecclesiæ tuæ sanctæ aggre-
gatis; atque in ea ad ordinem, & dignita-
tem Sacerdotalem immerentē elevaveris.

Pro his itaque & aliis, notis ac ignotis
summis beneficiis tuis, gratias, quas pos-
sum, maximas habeo, ô Sanctissima Tri-
nitas! uti & pro omnibus beneficiis col-
latis Sacrosanctæ Humanitati Christi Do-
mini, Beatissimæ Virgini Mariæ Matri e-
jus, S. Angelo Custodi meo, omnibus aliis
Angelis & Sanctis, præsertim Patronis
meis, omnibus hominibus Christianis,
Gentilibus, hæreticis & peccatoribus, om-
nibus damnatis & dæmonibus, omnibus
etiam creaturis ratione carentibus: pro
quibus omnia Jesu, Mariæ, & Sanctorum
merita offero: atque unicè opto, ut pro
singulis hisce beneficiis infinitæ tibi red-
dantur à me & ab omnibus, gratiarum
actiones, adorationes, laudes & benedi-
ctiones, per singula momenta temporis &
æternitatis. Amen.

Y 3

P. 117